

## DUO LOCI SALLUSTIANI

## A. Iugurtha 6. 1:

qui [sc. Iugurtha] ubi primum adolevit,  
pollens viribus, decora facie, sed multo  
maxume ingenio validus, non se luxu neque  
inertiae conrumpendum dedit, sed, *mi*  
*mos gentis illius est, equitare, iaculari . . . . .*

Haec ultima verba nullam observationem, quod sciam, ex viris doctis elicuerunt. At mihi contra visum est pretium curae pauca de ipsis disputare. Etenim Sallustius, cum haec de Numidarum puerorum moribus condidit, illa respexisse videtur, quae de institutis Persarum refert Herodotus<sup>1)</sup>:

παιδεύουσι δὲ τοὺς παῖδας ἀπὸ  
πενταέτεος ἀρξάμενοι μέχρι εἰκοσαέτεος  
τρία μῶνα, ἵππεύειν καὶ τοξεύειν  
καὶ ἀληθίζεσθαι.

*equitare* sane idem declarat quod *ἵππεύειν*, necnon *iaculari* similem vim habet ac *τοξεύειν*; nequiquam autem quaeras quod Graeco verbo ἀληθίζεσθαι respondeat. Haud mirum. Nam *consulto*, ut mihi persuadeo, id genus notionem praetermisit noster, quippe qui cum Numidas tum Iugurtham de infidis moribus saepe culparet. Cuius rei haec unum et alterum exempli gratia mihi sint:

sed Metello iam antea experimentis  
cognitum erat genus Numidarum infidum,  
ingenio mobili, novarum rerum avidum  
esse<sup>2)</sup>.

at ille, tametsi omnia potiora fide  
Iugurthae rebatur,  
tamen . . . . .<sup>3)</sup>

Quod superest, haec σύγκρισις, si recte se habet, ad textum constituendum nonnihil (parvi, fateor, momenti) confert.

1) 1. 136. 2.

2) 46. 3.

3) 26. 2. Cf. 46. 8, 48. 1, 53. 6, 56. 5, 61. 5, 91. 7.

Nam Diomedes Macrobius Probus, qui omnes hunc locum laudant, *iaculari equitare* (ordine sic retro acto) nobis praebent; quorum auctoritas, ut ex antiquitate, minime contemnenda est. Attamen ordinem quem libri manu scripti habent nunc comprobatur Herodotus: *ἔππεύειν καὶ τοξεύειν*.

B. *Historiae* 1.20 (Maurenbrecher):

citra Padum omnibus lex Lucania  
fratra fuit.

Cuilibet apparet valde laborare hoc fragmentum; siquidem *Lucania* in *Licina* scite correxit Casselius (quoniam de lege *Licina Mucia* agitur, quam anno 95 A. C. tulerunt Crassus et Scaevola), nunc restat ut sanetur istud monstrum *fratra*. Idem Casselius *fraudi* tentavit, olim defendit Clausen<sup>4)</sup>. Litterae autem vocum *fraudi* ac *fratra* tantum distant ut talem corruptionem veri similem esse sibi persuadeant pauci. Quapropter alium *στοχασμόν*, *parata* dico, in medium proferre non dubito; quam coniecturam ut proprio Marte feci ita ante hos sexaginta quinque et quod excurrit annos (ut postea certior factus sum) iam posuit Landgraf<sup>5)</sup>, qui persimilem locum ex libro *Catilinario* contulit:

tum lex Porcia aliaeque leges paratae  
sunt, quibus legibus exilium damnatis  
permissum est<sup>6)</sup>.

4) AJP 68 (1947), 293—5.

5) *Blätter für das Bayr. Gymn.* 31 (1895), 134.

6) *Cat.* 51.40. Hic forsitan *paratae sunt* pro documento esse videatur, quo *parata fuit* redarguere possis; at scrupulus tolletur, si recordari volueris tales formas adamussim re vera idem non significare. Exempla cuiusmodi gemellorum, ut ita dicam, ex multis subiungo pauca:

- a) . . . . . quibuscum illae nuptae  
erant (Cicero, *Verr. Act.* 2. 4. 136)  
. . . . . cui Caecilia nupta fuerat  
(id., *de Div.* 1. 104)
- b) . . . . . monumentoque statua superimposita  
fuit (Livius, 38. 56. 3)  
. . . . . saxum ingens, quo operitur,  
machina superimpositum est.  
(id., 39. 50. 3)
- c) . . . . . sicuti praeceptum erat  
(Sallustius, *Cat.* 45. 2)  
. . . . . sicuti praeceptum fuerat  
(id., *Iug.* 52. 3)

Quandoquidem iniuria (mea quidem sententia) neglecta est haec emendatio, mihi in animo fuit de ipsa fusius disputare; ab quibusdam igitur aliis locis Sallustianis, qui cum *parata* faciunt, incipio:

..... his utendum censeo, quae legibus  
*conparata* sunt. (Cat. 51.8)

maiores vestri *parandi* iuris et  
maiestatis constituendae gratia .....  
(Iug. 31.17)

sed plebes incredibile memoratu est  
quam intenta fuerit quantaque vi  
rogationem iusserit, magis odio  
nobilitatis, *quoi* mala illa  
*parabantur*, quam cura rei publicae.  
(Iug. 40.3)

..... tumque tribunos plebis et alia  
iura *sibi paravit*. (Hist. 1.11)

ex lubricitate leges imperantur, quom  
interim vos legatos et decreta *paratis*.  
(Hist. 1.77.17) <sup>7)</sup>

agite ut lubet, *parate vobis* Cethegi  
atque alia proditorum patrocinia .....  
(cui conditioni dein opponuntur haec: „sin  
libertas et vera magis placent, decernite  
digna nomine .....”) (Hist. 1.77.20)

si, Quirites, parum existumaretis, quid  
inter ius a maioribus relictum vobis et  
hoc a Sulla *paratum* servitium interesset .....  
(Hist. 3.48.1)

---

d) ..... munitus foret (id., Iug. 33. 2)

..... munitum erat (id., Iug. 57. 1)

e) ..... occisus est (id., Cat. 19. 3)

..... occisus foret (id., Iug. 65. 3)

7) Nescio an hoc loco venerit Sallustio in mentem pristina vis verbi *imperare* (quod nempe *ex in* et *parare* ducitur), quasi dixisset *leges in* (= *adversus*) *vos parantur*. Cf. A. Ernout et A. Meillet, *Dict. Ét. Lat.*<sup>4</sup> (Paris, 1959) s. v.

permansit una res modo . . . . . vis tribunicia,  
telum a maioribus *libertati paratum*.

(*Hist.* 3.48.12)

deinde, ne vos ad virilia illa vocem, quo  
tribunos plebei modo, patricium magistratum,  
libera ab auctoribus patriciis suffragia  
maiores vestri *paravere* . . . . .

(*Hist.* 3.48.15)

Quibus ex exemplis docemur quoque Bertoldum Maurenbrecher parum accurate ea dixisse, quae in contrariam partem attulit<sup>8)</sup>; „bleibt dann [h. e. si *parata* legitur] *omnibus* unverstandlich“. Immo potius talis dativi usus sermonem Sallusti admodum redolet (*quoi* . . . . . *parabantur*, *sibi paravit*, *parate vobis*, *libertati paratum*). Exemplis iam allatis mihi adde:

. . . . . sed omnibus modis insidias

parabat Ciceroni.

(*Cat.* 26.1)

Quod ad artem palaeographicam, quae dicitur, attinet, error quo modo ortus sit, examinando fragmenti ipso fonte demonstrare possumus. Etenim Cledonius grammaticus (qui unicus hoc fragmentum temporibus nostris servavit) haec verba introduxit, ut usurpationem praepositionis *citra* illustraret, sic<sup>9)</sup>:

. . . . . *citra* forum: Sallustius „*citra*

Padum omnibus *lex Licinia fratra* fuit.“

Procliviter dubio procul fieri potuit ut librarius quilibet *paratra* pro *parata* propter iteratum *citra* exararet. Quo facto, nimirum vox nihili *paratra* ad peiorem corruptelam prona fuit, necnon P et F in libris manu scriptis inter se saepe confunduntur (nisi forte imprudens librarius *Fratra* propter sequens *Fuit* effecit).

Cantabrigiae, Mass.

Robert Renehan

8) *Jabresb.* 113 (1902), 267.

9) *Gramm. Lat.* 5.76 (Keil).